D. O. M. 41

Illustris. & Reuerendiss. Domino,

# D. FRANCISCO NERLIO

## ARCHIEPISCOPO FLORENTINO,

*SANCTITATIS SVÆ A SECRETIS AD PRINCIPES;*

PAVCVLAS QVASDAM PHILOSOPHICAS GEMMAS

A Doctrinarum perenni Fluuio

*IOANNIS BACHONIS CARMELITÆ*

*Scientiarum Peritia, & Adequatis Argumentorum Responsion.*

*Doct. Ressoluti nuncupati; pro publico examini selectas.*

In Ossequium, & Pensum Franciscus Zannetus à Canneto Mantuano Philosophiæ inter Professores humillimus. D. D. D.





Florentiæ, Ex Typographia Francisci Honophrij. 1664. *Superior. permissu.*

D. O. M.

Illustriss. & Reverendiss. Domino

# D. FRANCISCO NERLIO ARCHIEPISCOPO FLORENTINO.

... PHILOSOPHICAS GEMMAS

A

IOANNIS BAPTISTAE CARMELITAE

... de tot Margaritarum abundantia dicam ...

... transcendentiae entis ęquipol ...

... Quinimmo pretium addit ipsi ...

... & bono valorem ...

... dignitatem illis assig ...

... illius Doctrinae pretiosa ...

... vastitate dedecus ...

# ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

## DOMINE COLENDISSIME.

*NE mireris, Strenuissime Antistes, si ita conspectui tuo inopinatus appareo. Fama tui Illustriss. & Reuerendiss. Nominis sic me adhortante, talia scribendo munuscu lum hoc ex diuersis Doctissimi BACHONIS Margaritis compactum ad te mittere coegit. Sub ductu Preceptoris mei Carmelitę, vt in dies virtutum tam intellectualium, quam moralium nouis enutrirer pabulis, pretiosisq; scientiarum exornarer lapidibus, è limine discessi Paterno; & mihi visus sum Sacra Elisei prosecutus fuisse vestigia, qui tactu Melotis Eliç, relicta domo, osculato Patre (vt par erat) abijt post Eliam, & ministrabat ei, nil terreni Patris secum, nisi benedictionem ferens: Mantuano natus Cęlo; Florentiam, vt iugibus mei Magistri fruerer disciplinis, latus petij: Ipsi enim (& me beatum) faliciter creditus sum à Patre meo. Sub illius ducatu, versatus, exercitatus, corroboratus, non modo speculatiuis, verùm Religiosis admonitionibus, supernisq; aliquando de pastus dulcedinibus (verum fateor Illustrissime Prçsul) fatidum huius mundi cępi nauseare canum. At quia iam clericali induebar clamyde, vt Deo, sacrisq; dicarer Altaribus, non semel attraxi spiritum. Peruentus ergo Florentiam anxio corde Deum rogatum volui, vt quidquid sibi placitum foret, plena benedictio-*

*ne mihi aspirare dignaretur. Factum est, vt animum ad clericalem militiam apponerem, nullo prorsus obstante eiusdem Praeceptoris mei placito, qui Diuina semper me docuit facere placita; Quiq; quotidianis alimentis, nedum Peripatetica intellectum meum, verum Religiosa Philosophia meam impinguebat, voluntatem. Hinc iam tandem lato, & pleno eiusdem mei Magistri assensu has pauculas Philosophiae gemmas ab inexausto IOA: BACHONIS fonte extractas, Tibiq; Sacratas publico exposui certaminoso examini; Vt sub tuo Ecclesiae Cęlo (Deus diù morari me permittat) Protectionis tuae fulcitus praesidijs, Deo seruire, & Tibi Humanissimo Pastori obedire possim. Haec ergo benignè ne despicias munuscula, & me obsequentissimum vt protegas rogo. In aeternum. Vale.*

*Florentię Die    Mensis*

Tuae Illustriss. & Reuerendiss. Dominationi

*Addictiss. Obsequentiss. & Humiliss. Seruus*

Franciscus Zannetus.

IL-

Illustriss. & Reuerendiss. Domino,

# D. FRANCISCO NERLIO
## FLORENTIÆ ARCHIEPISCOPO

Qui

Olim

Eminentiss. Vbaldini Bononiæ de Latere Legati
Auditor, Immò Adiutor
Audens, & Ardens
Fuit

Postmodum
Sereniss. Eminentiæ Caridinalis Decani

CAROLI MEDICES

Iterum Auditor factus est.

Nec prope huius Terrestri Paradisi Nilum
Perdidit Auditum.

Quid ni?

Fecundat, non confundit;
Serenissimis gestiendo vndis;
Limpidissimas gustando vndas,
Inualuit, non conualuit;
Conuolauit, non euolauit;
Vultum, non volatum;
Affectum, non effectum
Alcionis imitatus est.

Dein-

Deinde
Pistorij Episcopus,
Vt Pastorum scopos
Pectoris opus
In æternitatis opes
Transferret
Effectus est.
Norma Iustitiæ fuit;
Forma Iustitiæ præfuit.
Nunc
Florentiæ Archiepiscopus
Florentinorum Archetypus,
Vt
Florentia, pomiferaq; Arbusta
Munda plantaret, & Aurea,
Mundi supplantando astras,
Hos Hesperidos effecit Hortos
Huius Hesperij perfecit ordines
In Prudentia In Vigilantia
Draco Argus
Custodiunt.
Romæ
SANCTITATIS suæ à secretis ad Principes.
Et Sancti Secreto Principis,
Et factis Decretis ad Principes,
Et sanctè, & discretè Principatur.
Huic
Vt sibi benignè opituletur, & faueat, pauculas eximij Doct. Bachonis Philosophicas gemmas, & se ipsum in perenne pensum Franciscus Zannetus, qui supra
D. D. D.

# HVMANSS. ET CANDIDO LECTORI.

*FRANCISVS ZANNETVS.*

*ISTA gemmata Patera illam, quæ in te est, humanitatem exerceat. Ne respuas hos mei conatus labores. Decet iuuenem studium, nec vnquam tædere, sed semper satagere laboris. Elaboraui in his pretiosis extrahendis lapidibus; tu ergo vultu sereno meis plaude operibus, non ad mei præconium, plausibiles fiant tui accentus; ego enim, vt de se Psaltes aiebat, adolescentulus sum ego, & contemptus; Nec mereor tuarum encomia laudum: Sed ad aliquorum Iuuenum, iam hac corrupta tempestate nimis desidentium, otio torpentium, vel illæ cebris vacantium, ad ipsorum, inquam, resipiscentiam, hunc baccatum libellum, non me laudato.*

*Aduerte, quod cum non distinxerim omnes sub suo Titulo propositiones: Illæ, quæ prænotantur littera F.*

*ex*

*ex octo lib. Physic. quæ C. ex lib. de Cælo: quæ G. ex lib. de Generatione; quæ M. ex Metaphysica, decerptæ sunt.*

*Interim si intereris disputationi, te rogatum cupio, ut argumentari velis. Sic de Humanitate tua pariter, & Sapientia lætabor. Vale.*

Ad Illustris. & Reuerendiss. Dominum

# D. ARCHIEPISCOPVM FLORENTINVM

*TENVE, SED PRO VIRIBVS Munusculum.*

SIVE Idaspis Indorum, siue Tagi Hispaniarum pretiosis à fluminibus Margaritas extraxissem, & Aurum, non tam pretiosam gemmarum pateram, non tam dignum Tibi, Inclyte Infulate, (quamuis exiguum munus) defere, sicut ex gemmifero, auriferoq; Doctrinarum Fonte Ioannis à Bachone Carmelitæ. Parigiensi laureola, Academiarunq; Carmelitarum Doctoris excellentissimi, ortu Anglici, moribus Angelici, Doctrina Ressoluti, complere, inquam, Tibiq; Reuerendissime, exibere vnquam potuissem. Et verè tale debebatur, vt ex Tanti Doctoris immortalibus Sapientiæ thesauris perēnis Tibi fieret oblatio. Quid enim prætiosiùs eximię Dominationi tuæ dignè poterat offerri? Iob namq; cap. 28. Quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius. Non dabitur Aurum obrizum pro ea; Nec appendetur Argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus; nec lapidi Sardonico pretiosissimo, vel Sapphiro. Nec commutabuntur pro ea vasa auri. Non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia. Sedulò

dulò perscrutans in gemmifero *Bachonis* Fluuio, cum multos illic intuitus fuissem pretiosos lapides, gemmasue inestimabiles Virtutum, has conatus sum arripere. Illinc enim ab innumerabilibus Doctrinarum Margaritis, Sapphirum materiæ primæ habui.

F. Hæc namq; non aureis punctis, vt ille collucens; sed inchoationibus formarum refulgens apparet. *Ipse etenim Doctor in ipsa inchoationes formarum dari affirmat.*

F. Adamantes durissimos *immobilitatis loci, qui cum sit firmiter immobilis, nec igne, nec ferro nullum vbi intrinsecum inde extrahi nullatenus posse, habet; ita vt acquiratur per motum localem.*

F. Pluresq; Gagates selectas ipsius materiæ primæ in quibus non Pyrrhus Epirotarum Rex Musas, & Apollinem. Sed ipsa Bachonis Carmelitæ Sapientia non illas fictas impressas firmauit; *sed in ea veros, et solos appetitus ita impressit, vt nullo modo per se existere sine omni forma, neq; per absolutam Dei Potentiam possit.*

C. Cyanos cærulei coloris, Cęlorum silicet materiam, quæ illic ita cęrulea, & cęlestis apparet, *vt neget quod sit altera pars compositi.*

Smaragdos virides dimensionum interminatarum, quæ colore viridi virescunt in sola materia sublunarium; *cum hac dimensiones interminatas formam precedentes habeat; Materia namq; cęlestis has nullo modo in se patitur.*

C. Coralia de mundi, ęternitate. *Potuit enim mundus ab æterno creatus fuisse.* Et quamuis modo de facto extractus de mari æternitatis lapidescat in seculis, rube-

rubeſcatque in differentijs temporis; Tunc tamen eſſet frutex molis ſub aqua ęternitatis, baccas albas habens *puræ, & veræ creationis*.

G. Chryſolythum pellucentem Animæ rationalis, quæ non ita ſplendeſcit in homine, vt pro aureo colore, aliam non admittat formam; *Pręter enim formam rationalem ſolam formam corporeitatis, & non aliam affirmat in homine dari*.

G. Carbunculos, ita igniti carboni ſimiles, *vt ſiymboleitas ipſa accidentium excuſet à Reſolutione vſque ad materiam primam; ſicut Reſolutus ipſe affirmat nullatenus dari*.

G. Beryllon, qui in ſubuiridi colore alterationem quamdam innuit coloris, *quæ diſtingui à generatione ſubſtantiali pro certo habet, cum hęc ad ſubſtantiam, illa ad qualitatem fiat*.

M. Sed quid de tot Margaritarũ abundantia dicam non infinitas? Saltem tranſcendentiæ entis ęquippolentes enuntiabo. Quinimmò pretium addit ipſe ſolus; Alij namq; ab vno vero, & bono valorem paſſionis demunt; ipſe verę paſſionis dignitatem illis aſſignat; *dicens: Vnum, verum, bonum ſunt veræ paſſiones entis*.

M. Omnia inter gurgites illius Doctrinæ pretioſa fiunt. Idem ens, quod in ſui vaſtitate dedecus Analogię habet; *Nullam analogiam in ſuo conceptu formali habere deffendit ipſe*.

M. Vita quęlibet ſubſtantialis ſpecies, & natura prætium acquirit ab ipſo; *cum ęgregiè affirmet, omnis ſubſtantialis ſpeciei ſuppoſitum addere actum formalem ſupra naturam*.

Ma-

Magno conatu pro exiguitate ingenioli mei à profundissimo illo scientiarum abysso; Magistri mei Carmelitæ Bononiensis auxiliante præsidio; accipere has tantum pro nunc potui gemmas. Tu interim, Illustrissime, & Reuerendissime Antistes, illas excepto; & non audaciam, sed obsequentissimum desiderium meum te intueri supplex deprecor, & oro.

*Ego Franciscus Zannetus humillimus seruus tuus.*

# F I N I S.

---

In Ædibus Carmelitarum S. Mariæ Maioris

*Disputatio habebitur Hora* 21. *Die* *Mensis* *Anno* 1664.

Roganturq; omnes Sapientes, & Philosophantes, vt faueant pro exercitando deffendente, argumenteturq; pro beneplacito illorum.